

rùm simplicior est prior sententia, in quâ & acquiescimus. confer Psalm. LXVIII, 24. & Apoc. XIV, 20. Historiam de Felice Comite à Wartenberg minitante Lutheranis A. 1510. se in sanguine Lutheranorum ad calcaria usque equitaturum, sed eadem nocte proprio sanguine suffocato, refert Flacius p. 1. Cl. f. 910.

## EXPLICATIO VERSUS XII.

אדם homo : ) i. e. quilibet, etiam inferioris fortis aut alioquin rudis, qui nihilominus iudici singularitate permotus ab extraordinariâ hac ultione progreditur ad ordinariam Dei iustitiam, eamque decenter metuit ac veneratur. Aliàs אדם, si opponatur ei אִישׁ vir, hominem humilis solet designare fortis, qui non procul ab אֲרָמֵי humo vel inferiori statu abest. Hoc in loco idem est ac quilibet; adeoque amplissimus vindictæ proponitur fructus, quod longè latèque dimanaturum sit Dei præconium.

אֵךְ certè, utique : ) similis significatus Psal. XXXIX, 6. seq. CXXXIX, II. & c.

פֵּרִי fructus (est) iusto : ) h. e. non absque præmiò manet virtus, utut frustra aliquandiu videatur eadem fuisse in boni studiò malique fugâ occupata. Confer Ebr. XII, II. Jac. III, 18. Apoc. XIV, 13. Prov. I, 31.

אלהים Deus : ) Aben Efra & Kimchi de angelis; sed malè, cum non angelorum, sed Dei judicialis tractetur majestas, Deique à Davide quærat præconium, atque sic & proprium seu immediatum factum.

שופטים iudex : ) nempe supremus, mutis istis iniquissimisque terræ iudicibus longè potentior iustiorque vers. 2. seq. Opponitur hoc carnalibus mundi imaginationibus, qui Deum inferiora hæc planè non curare, adeoque promiscuè cuncta geri, arbitratur. Pluralis hic cum voce אלהים constructus, pluralitatem aliquam non solum dignitatis, ut alias in nominibus domini, sed etiam personarum involvit, quod ex aliis locis, & præcipuè Novi Test. luce satis alibi probatur. Sic Gen. XX, 13. Elohim הֵלֵל errare fecerunt me : cap. XXXVII, 5. הֵלֵל revelati sunt : 2. Sam. VII, 23. הֵלֵל ambulavit : Jos. XXIV, 19. Elohim קְדוֹשִׁים sancti. Plura hanc in rem egregiè Dn. Calovius assert. plur. pars. p. 33. c. 5. §. 44.

בארץ in terra : ) scilicet illà ipsâ, per quam nuper digressa fuerat iudicum iniquitas vers. 3. Vel etiam hic, quorsum tamen Dei oculos ob longinquitatem, non pertingere multi opinantur, Job. xxii, 14.

## USUS PRACTICUS E VERSU II.

(1) Interrogationibus nonnunquam convincimur, & in ruborem damur.

(2) Mutum esse, cum gloria ac veritas Dei, nec non proximi salutem sermonem à nobis exigunt, satis grave delictum. vid. præc. II. & VIII. item de peccatis omissionis.

(3) Loqui debemus iusta, iustè, iustò tempore ac locò, in commodum iustorum, & c. præc. VIII.

(4) Judicandum non ex affectibus, spe lucri, promotionis, & c. sed rectè, secundum Legum præscriptum, causæque tractandæ conditionem. L. de magistratu.

(5) Filios Adami (terrestres de terrâ) meminerint se etiam magnates : Pf. XLIX, II. seqq.

## USUS E VERSU III.

(1) Excogitatio scelerum intrapæctoris secretum, abominatio tamen in oculis Dei omniscii : Pf. VII, 10.

(2) Violentia manuum est varia, ledenti proximi corpus, facultates, famam, factis, scriptis, & c. præc. V. & VIII.

(3) Grassantur magnatum crimina per terram seu totam provinciam; experiuntur noruntque plurimi, licet se, aut suos dolos, iidem sentiri vix opinentur.

(4) Deliberata multorum est malitia; lancibus quasi examinant omnia, & c.

## USUS E VERSU IV.

(1) Impietas maturè se exerit, mox ab uterò. Huc Peccatum orig.

(2) Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret. Educatio bona multum omninò valet, sed non apud omnes.

(3) Abalienati semel à Deo, Satanaque mancipati, difficulter emendantur : 2. Tim. II, 26.

(4) Errare à viâ arcta, est proficisci in perniciem : Matth. VII, 12. Non etiam divagandum huc & illuc, instar ferarum oberrantium : Jer. II, 13. 24.

(5) De mendaciloquiò præc. VIII.

## USUS E VERSU V.

(1) Scelerata hominum pravitas veneno serpentino multum omnino convenit. Conf. Psal. xxii, 13. xvii, 12.

(2) Astutia serpentina, surditatem mirè procurans, avocet nos à surditate contra monitores bonos. Audiendum potiùs promè, attentè, obsequiosè. vid. præc. III.

## USUS E VERSU VI.

(1) Incantatio hic memorata non excusat prestigias malasque artes, contra præc. II.

(2) Sapientia, cui studendum, conformis sit verbo Dei revelato.

## USUS E VERSU VII.

(1) Rapacitas ac violentia inter homines quandoque major, quam inter belluas. vid. Psal. LVII, 5.

(2) Robur tamen, quale in dentibus leonum, aboleri facile potest à Domino, insigniter percutiente, destruyente, & c. Huc contemtus in principes effusus : Job. XII, 21. Pf. CVII, 40. uem depositio potentum de sede, Luc. I, 52. seqq.

## USUS E VERSU VIII.

(1) Utut aucta sint inque cumulum instar nivis aggesta facultates, diffluere tamen possunt subito, aquarum instar, si Deus maledictionem immiserit. Sic Possessores quoque ipsi.

(2) Tela piis intentata, b. e. damna astutiè satis parata, annihilare solet potestque Deus.

## USUS E VERSU IX.

(1) Magnates, utut mirè coram mundo turgeant, emineant, splendèant, instar limacis tamen pereunt miserè ac evanescent. L. de morte.

(2) Præmaturè obeunt felicitate suâ abutentes instar abortivi.

(3) Lucem hic sectare, si illic vis videre lucem : Pf. LVI, 14.

## USUS E VERSU X.

(1) Multa machinantur profani, que tamen optatum non assequuntur scopum : cruda adhuc abripiuntur, immatura disturbantur, & c.

(2) Deus